



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. XX. Quæ conditio vocum, sonorum, atq[ue] tumultuum, qui à  
Spiritibus excitantur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

paruit Dæmō, sub umbra, ut loquitur Sozomenus, *sive forma speciosa mulieris*, inuitans eundem ad *turpem libidinem*, nec non ad labefactādam corporis, & vitæ, quam diu coluerat, puritatem. Statim ille ferrū quod elaborabat, è fornace extrahens, in faciē eam percussit. Et Dæmō stridēs ac ingemiscens, procul aufugit. Fuit & Menippus Lycius annos natus 20. & quinq; in huius familiaritatem tñ hunc modū se insinuasse dicitur Spiritus sub forma mulieris. Pergebat quandoq; Menippus Corintho Cēchras solus. Et ecce phantasma quoddam illi occurrit, quod se in mulieris speciē conformauerat: atq; ex manu apprehendens Menippum, iam pridem, inquit, se illius amore teneri captiuam. Eius blāditiis delinitus Menippus vesperi *ad mulierē pergit, ac deinceps frequenter*, periade ac ad suas delicias, donec tandem à Mago edoctus intellexit Lamiā esse seu Spiritum Nequam. Rem pluribus prosequitur Rodoginus Cælius, lib. 16. c. 4. Vide aliud huius rei exemplum capite 92. huius Disputat.

## CAP. XX.

*Quæ ratio & conditio Vocum, Sonorum, atque Tumultuum, qui auribus viuentium percipiuntur, & à Spectris, siue Spiritibus, locis infestis excitantur.*

**N**on solum quomodo Voces, Clamores, Gemitus, Risus, Cætus, Strepitus, Tumultus, & quæcunque sub auditu sensum cadunt, & à spiritibus infestis locis excitentur, hoc capite nobis explicandum erit: sed & An hæc verè excitentur, & verè talia sint, qualia vulgi opinione putantur, definiendum. Imò verò hoc prius constituendum; ut illud facilius docere valeamus.

Voces igitur, quæ audiuntur, si propriè loquamur, voces non sunt Vox, inquit Aristoteles, *est ictus aëris respiratione attracti: qui quidem ab anima sit ea, quæ his partibus collocatur, ad eam partem, quæ gurgulio appellatur.* Solorum animalium est Aristoteli, habere voces: & non quidem omnium; sed respirantium tantum: quorum etiam non quicumq; sonus Vox est; sed is tantum, qui per respirationem attractus, & qui animalis vel affectum, vel conceptum significat. Iam verò Spiritus animalia non sunt. Nulla est in iis respiratione; nulla anima; nulla pars, quæ animæ motionem excipiat; nullus gurgulio.

Quòd si voces non sunt, quas Spiritus formant; nec veri erunt, quos

quo excitant, *Clamores*. Quid ita? Quia ea ratio Clamoris est, ut sine voce esse nullo modo queat. Neque enim aliud est Clamor, quàm intensa vox: nec ullus Clamores aliis, quàm uiuentibus, tribuerit.

4. *Gemitus* affectuum, eorum, à quibus eduntur, sunt signa; quemadmodum & *Suspiria*: qui igitur affectibus carent, *Gemitus* edere nequeunt. Sed tamen non apud quoscumque affectus esse possunt, possunt & *Gemitus* esse. Eas etiam partes, quibus vox ad sui formationem indiget, requirunt; quibus cum Spiritus careant; possunt quidem videri *Gemitus* edere, sed reuera non edent.

5. *Risus* eadem est ratio. Omnis qui à Spiritibus fit, simulatus est, specie sui fallit. Sed & *Risus* ridendi potentiam sequitur, quam Philosophi contendunt effectum quendam rationalis esse animalis. Quis verò Spiritus animalia rationalia dixerit?

6. *Cantus*, *Concentus*, & *Melodia*, qua Aquilonares Spiritus nocturnos viatores, armentorumque & gregum custodes recreant; à sono, qui fistulis, organis, aliisque musicis instrumentis excitatur, non differt. Quemadmodum igitur huc sonum propriè *Cantum* non dixeris; ita neque *Melodiam* atque *Concentum*, cuius Spiritus sunt authores. Sonus tantum est, & præter sonum nihil. Quid quod *Cantus* vocis quædam sit modulatio? Quomodo igitur *cantare* Spiritibus conueniet, quibus vox negatur?

7. Hinc est, quod spiritus in voce, clamore, gemitu, risu, cantu formandis, *nullis organis*, quemadmodum homines atque animalia, quæ voces formant, opus habeant. Non indigent ore; non lingua; non palato; non labijs; non dentibus; quæ in articulata magis voce requiruntur. Non pulmone, arteria, siue gutture, corde, gurgulione, cum viginti suis musculis; quæ ad alias, non ita articulatæ, necessaria sunt.

8. Sed & plerumque cum voces simulant, *nihil horum* possident Spiritus: ut illi in primis, qui clam & secreto, voces fingunt. Cur assumerent, quod ad nullos usus ipsis seruire debet? Possunt simulare voces absque villo prædictorum instrumentorum auxilio; quemadmodum & simulant, ut plurimum.

9. Quando verò apparent Spiritus, ut se uiuentium oculis obijciunt; his quidem instrumentis, ore, lingua, faucibus, dentibus & instructi aliquando (*non enim semper*) sunt; nam quod his, ad voces formandas opus habeant, sed quod non ita, sine his, commode, propositis sibi fines assequuntur.

Czte.

Cæterum, quamuis omnia iam dicta *speciè tenus* talia sint, 10.  
qualia vulgò iudicantur; *Soni* tamen reuera esse possunt. Non-  
ne quandoque aures audientium percèlluntur? Nonne audi-  
endo molestiam aliquando patiuntur? Et hoc forsitan sine ve-  
ro *sono*?

Quocirca & ipsi infestantes atque molestantes Spiritus; li- 11.  
cet verè *voces* edere nequeant; quemadmodum demonstratum  
est. veros tamen possunt edere, eduntq; *sonos*. Non tot ad *sonum*;  
quot ad *vocem* sunt necessaria. multò paucioribus indiget *sonus*. Et  
à n in viuèntibus veri possunt excitari, excitanturq; *soni*, quamuis  
non verè *voces*.

Hinc est, vt translata significatio verborum non sit, quæ 12.  
Spiritibus tribuuntur, & præter sonum nihil in se includunt:  
translata sit, si Spiritibus tribuantur, quæ in genere sunt vocum.  
Prioris generis sunt strepitus, tumultus & his similia: posterioris  
clamor, risus, gemitus, illachrymationes, &c.

Dum tamen *sonos* excitant Spiritus, non vnum aliquid illo- 13.  
rum sunt, quæ ad sonos formandos sunt necessaria. Tria illa sunt.  
corpus percutiens: corpus percussum: & medium, in quo sonus  
recipitur. Nihil horum sunt Spiritus. Veruntamen quia possunt  
percutientia corpora, percussis admouere: inter quæ interce-  
ptus aër ruptus & fractus sonos format; ipsi *sonos edere* dicuntur.

Sonos igitur *veros* edunt Spiritus, dum loquuntur, clamant, 14.  
gemunt, illachrymantur, rident, tumultuantur, strepitus exci-  
tant. An verò *semper*? An *aliquando*? An, vt plurimum, vel rarius?  
Tria quærentur. Resp. in detur ad singula.

Non *semper* edunt. Argumento illud est, quod accidat, vt 15.  
in multorum præsentia quidam nonnunquam sint, qui tumultus,  
strepitusq; Spirituum se audire credant, & constanter asserant,  
cùm interim cæteri præsentés percipiant nihil.

Scio & hîc *veros quandoq;* esse sonos, qui ab his audiuntur, 16.  
ab illis non audiuntur. Quemadmodum organum visus atque ta-  
ctus; gustus atque olfactus; ne suo officio fungantur, impedire  
possunt Dæmones; ita possunt auditus: & dum in his impediunt,  
in illis suis ipsis functiones permittere possunt: sed tamen, vt hoc  
feri potest; ita & illud: vt prorsus auditui illudatur, & nullus ve-  
rus ad ipsum sonus perueniat, quamuis interim sibi quis, quòd  
veros sonos audiat, persuadeat. Si fallere possunt, vt quis videre  
se credat, cùm videat reuera extra se nihil: non poterunt fallere,  
vt credat, quis se audire sonos, quos reuera non audit? Non igitur  
*semper*

*semper veros sonos edunt.*

17. *Aliquando tamen edunt. Pro hoc posset nobis communis omnium sensus atque consensus feruire; qui quod veros sonos, tumultus, strepitus audiant, omnino sibi persuadent, nec ut contrarium sentiant, induci possunt: sed tamen pro eodem duplex ratio militat. Altera est, quod quandoque auditus organum grauius in horum sonorum perceptione lædatur: altera, quod ab omnibus, qui aliquo communi loco circumscribuntur, percipiuntur, quamuis etiam ex omnibus illis vnus aliquis sit, quem Spiritus persequantur.*

18. *Sed & ut plurimum, veros sonos excitari dixerim: tum quod in hoc negotio difficultatem magnam Spiritus non habeant: tum quod qui audiuntur tumultus, ab omnibus, ut plurimum, percipiuntur: quemadmodum exempla, primo Capite allata, docent; & confirmat quotidiana experientia.*

19. *Interim, quamuis veri soni audiantur, & excitentur: non tamen credendum est, semper ijs corporibus excitari, quibus excitari videtur. sæpe disiecta putatur suppelles, quando illa prorsus mansit immota. Sæpe excitatus malleus sonus, quando nullus in domo malleus. Sæpe armorum collisione iudicatur fieri tumultus, quando nulla arma, sed armorum tantum inanes formæ.*

20. *Hic plurimum Spiritibus seruit aer. hunc illi concitant huius varia collisione, constrictione, disruptione, allisione, & ut ita dicam, inundatione; nunc rugitum leonum simulant, nunc mugitum taurorum, nunc serpentum sibilum, nunc porcorum grunitum, &c.*

21. *Quocirca aer hic non tantum mediū est, per quod sonus ad aures defertur: sed nunc quoque percutientis corporis, nunc percussi subit rationem. Percutientis quidem, dum percussum aliud pulso à Spiritibus aeri resistit; percussi verò; dum aliquod solidius in illum facit impressionem.*

22. *Atque ita quidem sonos formant Spiritus, dum à collisis corporibus illi excitantur, & verè veri audiuntur. Sed tamen, quemadmodum diximus, non verus semper, realisq; sonus est, qui percipitur: Ut visum, ita auditum illud contingit. Nunquid non qui phrenesi laborant, non solum se mira videre; sed & mira audire existimant? cum tamē nihil sit, quod vel extra ipsorum sit visum, vel extra auditum? Et nos, cum, somno capti, dormimus, quoties somniantes respondemus iis, quos in somnis, tanquam interrogā-*

tes, & nobis loquentes imaginamur? & tamen hæc nulla aut vox, aut sonus ad nostras aures pertingit.

Varijs igitur, & non vno, modis contingit audiri Spiritus. *Vnus* est, in quo viventibus non illuditur: quia & verus sonus est, qui ad aures deferatur; & verè ab iis corporibus excitatur, à quibus excitari creditur. *Alij* sunt, quibus viventibus illuditur: qui & ipsi *varijs* sunt. 23o

Contingit primò viventibus illudi non quidem obiecto auditus (sono inquam) quasi reuera, is non sit, qui ad aures deferatur: sed soni *authore* & causa: dū malleis, vel gladiis, vel suppellectilibus iudicatur excitari, qui non nisi concusso aere excitatus est. Secundò illudi contingit, quādo iudicatur *extra* hominem factus, qui in homine prope, vel in miringa excitatur. Quemadmodum enim in externo aere sonos possunt efficere Spiritus, qui ad hominum aures deferuntur: ita possunt in ipsa aure: qui tamen ab audientibus illum, extra aurem factus credatur. Et his duobus modis, quemadmodum & primo, *verus realis*, sonus percipitur semper. 24o

Aliquando nullus *realis* sonus est, qui percipitur: percipi tamen iudicatur, quemadmodum in phreneticis, & dormientibus accidere diximus. Atque hoc *dupliciter* accidit, deriuatione specierum soni ad organum sensus; & imaginatione. Hic solius imaginationis est operatio: vbi aliqua auditus. Sed hæc alterius loci. Nostra prosequamur. 25o

CAP. XXI.

*Quæ ratio & conditio formarum, quæ in oculos incurrunt: quibus se viventibus Spiritus & Spectra exhibent.*



Vem in iis, quæ auditui obiecta sunt, ordinem seruauimus, idem in rebus visis seruandus est. Principiò de visarum rerum conditione; tum deinde de modis, quibus Spiritus, & Spectra conspiciuntur, agendum est. 1.

In priori illo *tria* quærentur. Primò, Vtrum *reuera hoc sint*, quod videntur Spectra. Secundò, si reuera hoc non sunt, An quādo ita videntur, *sint saltem res animatae*. Tertiò, An si animatae non sint, *reuera saltem sint corpora*. 2.

L 2

Quis